

DISSERTATIO IN AVGURALIS CHIRVRGICO MEDICA

QVA

1720

48

# VULNERVM IN INTESTINIS LETHALITAS

OCCASIONE CASVS RARISSIMI

QVO

19

COLON VULNERATIONE INVERSVM PER XIV. ANNOS  
EX ABDOMINE PROPENDENS  
EXHIBETVR

## PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES  
ET PRIVILEGIA OBTINENDI

PRAESIDE

DN. ABRAHAMO VATERO  
PHIL. ET MED. DOCT. HVIVSQVE PROF. PVBL. ORD.  
ANAT. ET BOTAN. SVBSTITVT. ET NAT. CVR. COLL.

PLACIDAE DISSENTIENTIVM DISQVISITIONI  
EXPOSITVR

A

RESPONDENTE

JOANNE REICHARD TIEFFENBACH

MAGDEBURGENSI

D. DECEMBR. M DCC XX.

IN AUDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM VSITATIS.

WITTENBERGAE, Literis GERDESIANIS.

ДИКИЕ СЛОВА  
САПЕРЫ

ПРОДАЖА  
СОВОКУПНОСТИ  
САПЕРНЫХ  
СРЕДСТВ  
ДЛЯ ПОСТРОЕНИЯ  
САПЕРНОГО  
УЧИЛИЩА  
В АДАМСКОМ  
Городке

ПРОДАЖА  
СОВОКУПНОСТИ  
САПЕРНОГО  
УЧИЛИЩА  
В АДАМСКОМ  
Городке

ДЛЯ АРМАНДОВА  
САПЕРНОГО  
УЧИЛИЩА  
В АДАМСКОМ  
Городке

ДЛЯ АРМАНДОВА  
САПЕРНОГО  
УЧИЛИЩА  
В АДАМСКОМ  
Городке

ДЛЯ АРМАНДОВА  
САПЕРНОГО  
УЧИЛИЩА  
В АДАМСКОМ  
Городке



ulnera corpori humano inficta tam  
varia, tamque singularia sunt, ut  
Medicis pariter atque Chirurgis,  
non solum in curatione, sed et  
iam in foro, ubi iudicium de ho  
rum lethalitate postulatur, pluri  
mum negotii facessant. Sana  
tionem quidem eorum difficilem, & interdum pla  
ne impossibilem reddunt, situs obliquus, penetra  
tio profundior, & laesio vasorum insigniorum, ui  
scerum atque organorum nobiliorum, quibus rebus  
fieri solet, ut applicatio remediorum denegetur,  
actiones uitales animalesque turbentur, uel prorsus  
destruantur, atque sic mors acceleretur. Arduum  
autem multo magis est, de illorum lethalitate ab  
soluta, aut accidentaliter ferre iudicium, tum ob lae  
sionum harum, uiscerumque afflictorum ingentem  
uarietatem, tum ob tractationem diuersam, alias  
que circumstantias in cura atque diaeta obuenien  
tes, tum praecipue, ob inspectionem corporum  
demortuorum imperfectam, & relationem de uul  
nerum conditione obscuram, dubiam, aut plane fal  
sam. Eas ob causas fieri solet, ut hi, quibus cura

A 2

aegro-

aegrorum demandata fuit, culpam exitus infelis ferre, causamque propterea dicere saepius cogantur, imo Medicorum particularium, & integrorum collegiorum sententia, de uulnerum lethalitate pronunciata, a causarum Patronis impugnetur. Inter alia uulnera, imprimis ea, quae intestinis infliguntur, in curatione aequa ac renunciatione, difficultates innumerabiles generant. Illa enim, ob situm intestinorum specialem, substantiam neruositatem, motum continuum, aliasque rationes inferius tradendas, consolidationem uix promittunt, adeo, ut percepta tantum intestini cuiusdam uulneratione, Medici & Chirurgi de felici euentu fere desperent, & sic talia absolute lethalia aestimanda esse uideantur. Nihilo tamen secius exempla quaedam, rariora quidem, uulnerum in intestinis feliciter curatorum, ea absolute lethalia haud esse, suadent. Quapropter in curandis aequa, ac renunciandis eiusmodi uulneribus, maxima opus est circumspectione & prudentia, ne illa in cura negligantur, aut tanquam incurabilia sine ope relinquantur, multo minus in foro lethalia pronuncientur, quae talia non sunt. Hoc ne fiat, necesse sane est, ut singulae circumstantiae rite ponderentur, & ex omnibus inter se collatis, iisque non separatim, sed coniunctim sumptis, demum de eorum lethalitate fiat iudicium

-01298

A

D

dicum. Praecipue tamen exempla ista particula-  
ria, uulnerum intestinalium sanatorum, accurate  
& quoad conditiones speciales examinata, multum  
huic negotio lucis accendere poterunt, quia exin-  
de clarius redditur, qua ratione uulnera ista, ut plu-  
rimum funesta, curata tamen fuerint. Eoque con-  
silio nos, de lethalitate uulnerum intestinalium in  
praesenti acturi, exempli loco praemittemus casum  
quendam rarissimum, pariter ac curiosissimum, si-  
stentem colon uulnere accepto inuersum, per XIV.  
annos sine sanitatis dispendio ex abdomine propen-  
dens, quem nuperime in uiro non sine admiratio-  
ne considerandi, data nobis fuit occasio. Eun-  
dem quidem casum iam tum Clariss. Schacher in  
Programmate, nuper occasione Anatomiae publi-  
cae edito, quoad principales circumstantias con-  
cise adumbrauit, non tamen ex re fore iudicamus,  
ut integrum huius rei historiam, cum adiecto ico-  
ne, posteritati conseruemus, eiusque ductu praeci-  
puas cautelas, in renunciatione uulnerum intesti-  
nalium forensi, obseruandas tradamus.

Faxit DEVS Ter Optimus Maximus, ut labor  
hic noster cedat in sui honorem, hominumque sa-  
lute. Te tiero, Beneuole Lector, rogatum uo-  
lumus, ut nostrum, de uulnerum intestinalium le-  
thalitate, iudicium aequo iudicio excipias.

A 3

HISTO-

## HISTORIA.

**V**ir XXXIV. annorum, media statura corporeque gracili quidem, sed robusto praeditus, militiae operam navans, in praelio, prope oppidum Flandriae, Ramelies dicto, Anno MDCCVI. commisso, in lateris sinistri regione hypochondriaca aut epicolica, uulnus mediante pugione, (Bagonet) inflictum accepit. Chirurgus curam eius in nosocomio suscipiens, ex effluxu assumptorum, mox de intestino quodam sauciato certior factus, suo officio satisfactus, omnem mouit lapidem, ut eidem succurreret, & propterea ad locum uulneratum detegendum, uulnus externum sectione prudenter dilatauit. Percepta uero hoc ipso intestini euersione, nulla industria corrigenda, de salute huius viri desperare cepit. Interea aeger, qui ex consilio medentium per plures dies a solidis cibis abstinuit, nihilque praeter iuvela deglutiuit, his sine digestione post breve tempus effluentibus, notabilem uirum prostrationem sensit. Quamobrem fame urgente, spe reconvalescentiae alias destitutus, clam insciente Chirurgo, panem a socio acceptum comedit, ac percepta exinde uirum amissarum restauracione, alimentis solidis uesci continuauit. Hoc ipso autem factum est, ut intestinum ob cibos solidos, excrementis spissoribus repletum, successive extra abdomen protruderetur. Idem quippe, distractio[n]e fibrarum labiis uulneris deli-

OTRII

E A

scendi

scentibus, in ipsa fissura eidem inficta ita inuersum est, ut utrinque subingressum, interiorem superficiem extra uertendo, duas portiones in medio adhuc coniungas porrigit. Pars eum huius intestini superior, ingressu inuersa ad superiora, & inferior eadem ratione uersus inferiora protenditur, ac quoniam utraque in extremitate orificio gaudet, tubum unicum, superius atque inferius apertum & continuum repraesentat. Constat uero pars illa intestini prolapsa, re ipsa duabus portionibus interius latentibus, & cavitate nullatenus inter se communicantibus, quoniam superius orificio patet uersus intestina tenuia, & fecum expulsioni inferuit, inferius autem dicit ad rectum, & liquorem iniectum per ordinariam excrementorum uiam, hac ratione totaliter interceptam reddidit. Hoc ipso ergo labia uulneris intestini inuersione extra conuersa, cum integumentis abdominis, in ipso egressu ita coaluerunt postmodum, ut circumcirca aperturam illam externam claudant, nihilque adeo secum intra abdomen prolabiqueat, quae omnia ex inspectione figurae, in fronte dissertationis positae melius, quam ex ampliori relatione colligi poterunt. Vir itaque per posteriorem uiam aluum non amplius deponit, rarissime tamen, stimulo excitato, mucosam materiam loco fecum excernit, quam e glandulis intestini recti, ac residuae partis inferioris coli prouenire, non leuis est suspicio.

THFS.

## THES. I.

**M**eretur omnino casus iste plane singularis, ut, antequam nos ad uulnerum intestinalium lethalitatem explicandam accingamus, eiusdem conditiones praecipuas attentius quodammodo perscrutemur. Notatu dignus praepucie est locus, per quem intestinum uulneratum prodiit, e quo pars illa coli sub uentriculo incendens inuersione egressa perspicitur, quae quidem cum uentriculo nullam connexionem, nisi per omentum duplicatum habet, sed eidem saltē accumbit, lieni tamen & reni sinistro per mesocolon sat arēte alligatur, ut mirum omnino sit, per huius tensionem nihil plane incommodi excitari. Longe facilior foret intestini huius egressus in inguine, imprimis sinistro, ubi notabilem flexuram, arcumque idem efficit. Multo maiori uero admiratione dignum esse censeo, intestinum hoc, inuersione superficiem interiorem extra uertens, per tot annorum decursum ab inflammatione & sphacelatione praeseruatum, aerisque frigidioris adeo patiens esse, ut aquam quoque frigidissimam, hyemali tempore nive glacieque permistam, perferat, utpote qua uir ille ad abstergendas fordes, sine ullo incommodi sensu utitur, ut potius refectionem abinde se sentire, profiteatur. Posset hoc sane excitare dubium, utrum

utrum Chirurgi merito in vulneribus abdominis, tantopere de prolapsu intestinorum, & ingressu aeris frigidi prohibendo, solicii sint, ne intestinis noxam afferat, cum hic in interiori intestini superficie tunica villosa, ob myriades vasorum sanguiferorum subtilissimorum, rubidine uiuida perfusa, & glandulae copiosissimae eminentes omnes aeris iniurias perdurent. Distinctio tamen hic omnino erit adhibenda, inter intestina tenuia atque crassa, quorum haec prae illis substantiae magis carnosae sunt, adeoque tam facile ab aere haud laeduntur. Licet autem intestinum aeri libero & frigido sine noxa exponatur, imo frigus facilius ferat, quam calorem, cum uir in loco calido diu degens, anxietatem quandam percipiatur, a frigore uero admoto reficiatur, tamen illud a frigore pallescit, indurescit, & quodammodo retrahitur, a calore uero accedente rubescit denuo, mollescit, & longius protruditur. De nullo adeo morbo homo conqueritur, quin potius omnis generis cibum potumque, ipsumque uinum adustum impune assumit, saltim quod cibi crudi, fructus atque legumina, pariter ac iuscula aliaque alimenta fluida, sine sufficienti digestione, adhuc dum cito effluant, id quod stimulo, tensione huius intestini inducto, adscribendum certe est, qui digestionem perfectam horum alimentorum non ad-

B

mittit.

mittit. Praeter haec tenus annotata, oculis curiosis iucundum admodum spectaculum exhibit glandulae copiosissimæ, in superiori portione rariores, in inferiori numerosissimæ, totum fere intestinum cingentes, & unicam fere glandulam efficientes, quae in superficie interiori ad extra uersa, succo turgidae, uerrucarum more eminent, ac inclementius tactae, sanguinem fundunt. Viuit itaque uir iste uitam quidem sanam, sordidam tamen, ob foetorem eges-  
su excrementorum, post cibum sumptum continuo excitatum.

## THES. II.

**Q**uandoquidem de vulnerum in intestinis lethabilitate iudicare nullatenus liceat, nisi constet, quid quantumque auxilii ad ea sananda Medicina praebeat, curam eorum breuisimis adumbrare consultum erit. In uulneribus intra cuitatem abdominis penetrantibus, intestinorum praecipue tenuum laesiones, nisi oculis pateant, admodum difficulter cognoscuntur, tum ob situm illorum profundum & anfractuosum, tum ob motum continuum & circumgyrationem, quo ipso locus uulneratus situm continuo mutat. Interim intestinum aliquod perforatum esse, licet in loco a uulnere externo remoto, praeter symptomata communia, conuulsiones nimirum & sigillatim uomitus, indicant contenta effusa,

fa, aut quando pars intestini, extra abdomen egredi collapsa uidetur. Hoc ergo percepto, nihil intentatum relinquat Chirurgus, necesse est, ut locum intestini fauciatum, blande & prudenter ad uulnus externum adducat, & si hoc ob angustiam huius fieri nequeat, eum in finem eius dilatatione & ampliatione opus est, nisi symptomata grauiora, lypothymiae, conuulsiones, inflammatione, haemorrhagiae, & id generis plura hoc impedian. Inuenito loco, idem filo mediante acu traiecto, uulneri externo coniungi debet, ne motu peristaltico intra cavitatem retrahatur, & ut hoc ipso applicatio remediorum & egressus contentorum faciliteretur, quo minus ea intra cauum abdominis elabantur. Quod enim veteres de coniunctione labiorum, per futuram suadent, recentiores ob metum inflammationis, gangraenae & conuulsionis haud immerito reiiciunt, uti rectissime monet Clariss. Heister in Chirurg. p. 83. Consolidationis uero negotium a sola natura dependet, quam tamen per vulneraria interna & externa, inflammationi resistentia & dolorem lenientia, iuuare licet. Praeterea ad symptomata, inflammationem febrem, conuulsionem, aliaque coincidentia praecauenda & mitiganda, multum facit uenalectio, interdum satis larga, nunquam fere intermittenda, nisi grauissima contraindicantia eam dissuadeant.

allii

B 2

Ipse

Ipse non minus aeger suo satisfaciat officio, necesse est, sibique ab aere frigido, potu tali ac copioso, itemque spiritu uini & uino ipso, cibis crudis atque multis, animi pathematibus, motionibus & iectigationibus corporis inconuenientibus, ac huius generis aliis rebus noxiis, sedulo caveat.

## THES. III.

**T**antum quidem est auxilii, quantum a Medico & Chirурgo sperare licet, reliquum negotium a sola naturae bonitate dependet. Experientia tamen diuturna & constans docet, paucissimos ex intestinorum uulneribus euadere, maximamque eorundem partem fato succumbere. Cuius rei causae quam plurimae dantur, quae intestinorum plagas tam periculosas, & ut plurimum funestas reddunt. Imprimis substantia intestinorum, sigillatim tenuium, membranosa & admodum neruosa, motus eorum peristalticus continuus, conglutinationem illorum impedit, adeo ut talia nunquam per se, nisi interueniente omento uel alio, uniantur. Facta enim ruptura uel sectione fibrarum musculosarum, tendinosarum & neruearum, labia uulneris continuo dehiscunt, & a se inuicem retrahuntur, quo ipso non tantum unio denegatur sed etiam, quod maxime notandum, fibrae reliquae adhuc unitae, uehementer tenduntur grauiterque irritantur, idque conuulsiones, in partibus illis

illis neruosis admodum periculosas, necessario post se trahit. Idem quoque in culpa est, quod a uulneribus intestinorum, imprimis grandioribus & multiplicibus, conuulsiones enormes uiscerum internorum, uomitibus praecipue se prodentes, nec non inflammations & sphacelationes tam subito orientur, ut iisdem remedius, etiam si optimis, resisti uix queat. Ex plexu quippe mesenterico, in centro huius sito, nerui densissima serie ad intestina decurrent, & intestinorum tunicis intertexuntur, quibus adeo laesis & laceratis, imprimis ob tensionem reliquarum adhuc integrarum, fieri non potest, quin totus ille plexus, & consequenter uniuersus alimentorum canalis, nec non reliqua uiscera, de neruo uago & intercostali participantia, in consensem trahantur, & spasmis, in partibus interioribus, ob turbationem totius oeconomiae animalis, summe periculis agitantur. Nec omnino negligenda est, copia insignis vasorum sanguiferorum, substantiam intestinorum numerosissimis ramificationibus perreptantium. Ista quidem ob exiguitatem, nisi in uulneribus maioribus rami maiores & copiosi laedantur, tantum haemorrhagiae periculum non generant, attamen inflammations & sphacelationes subitaneas, in partibus neruosis periculosissimas efficere solent. Accedit, quod uulnera ista, licet curam admitterent, si paterent, & medicamen-

dicamenta applicari possent, locus tamen eorum, per continuam intestinorum gyrationem, sine intermissione mutatus, ob situm profundum saepissime inueniri nequeat. Extractionem enim & perlustrationem intestinorum, grauia symptomata praesentia, aut timenda maxime impediunt. De cetero per aperituram contenta eorum, necessario in cauitatem effunduntur. Hoc ipso, si in tenuibus subsistit laesio, aeger nutrimento suo defraudatur, & succi isti elapsi, siue alimentitii, siue excrementitii, uiscerum corruptionem & putredinem efficiunt, eumque lenta morte extinguent, nisi locum inueniat materia exundi, quod tamen non iuuat, quin simul uulnus consolidandi detur occasio. Ex his rite consideratis, facile erit concludere, quantum uulnera intestinorum generent uitae periculum, & quam pauci exinde euadere posint.

## THES. IV.

**H**oc tamen non obstante, exempla quaedam, ea que rariora, apud autores pasim occurruunt, quibus uulnera intestinorum, tam tenuinum, quam crassorum sanata recensentur. Ileon totaliter praecisum & transuersim resectum, e uulnere, ad ulnae quoque sextae partis longitudinem prodiisse, & ita fecibus per hanc uitiam eliminatis, aegros tales, spe omni & auxilio destitutos, uitam per plures annos con-

conseruasse, dupli exempli a B. Bohnio de Vuln. lethal. p. 147. ex Blegny Zodiac. Gall. & Fernel. Pathol. allato, confirmatur. Pariter Mangettus Bibl. Med. Pract. L. I. p. 1155. refert casum, feminae a marito in hypochondrio dextro, supra os ileum cultro uulneratae, quae denudato, per dilatationem uulneris externi, intestino laeso, eoque interposita lardi recentis lamella, cuti alligato, non tantum feliciter curata, sed binos quoque liberos post illud tempus enixa est. Dubium autem admodum uidetur in hoc exemplo, an ileon uel colon tactum, non modo ex loco uulnerato, qui dicitur regio hypochondriaca dextra supra os ileon, sed etiam ex egressu fecum aluinorum e uulnere, quales in tenuibus non reperiuntur, nisi forte ileon fauciatum fuerit in ipso termino, ubi penetrat in colon. At multo curiosius est, quod idem l. c. affert exemplum, ubi uir quidam in epigastrio dextro, non procul ab umbilico, globulo e sclopeto immisso uulnus accepit maximum, quo disruptis praeter tegumenta, tendinibus musculisque, recto, transuersali & obliquis, ac ingenti haemorrhagia, deiectionibus infernis & supernis, frequenti syncope & prostratione uirum subsecutis, nulla omnino spes reconualecentiae residua fuit. Hunc tamen, excreto per aluum globulo, quinto morbi die cum fecibus, a clystere sollicitatis, seruatum,

tum, ac post mensis unius periodum plane liberatum fuisse, ibidem relatum legimus, ubi utilis simul admonitio additur, nunquam omnino deserendum esse aegrotantem, dubiamque spem certa desperacione esse potiorem. Videtur autem globulus hic, intactis tenuibus, penetrasse intra cauum coli, quod in regione sinistra hypogastrica, notabilem arcum efformando, ad intestinum rectum abit, quia alias difficilis fuisset excretio eiusdem, per infusum clysterem. Plures autem sunt eorum casus, in quibus intestina crassa, imprimis colon, uulnerata, cum abdominis integumentis ita concreta sunt, ut, uulnere externo una cum interno coeunte, aut, isto pro excretione excrementorum, aperto manente, in uita superstites manserint. Tale etiam est nostrum, in praesenti descriptum & delineatum exemplum, quanto magis res ista extra omnem dubitationis aleam ponitur.

## THESS. V.

**H**aec tenus enumerati & plures ab auctoribus observati casus, non immerito in Medicorum aequo, ac Jureconsultorum animis excitarunt dubium, utrum intestinorum uulnera per se & absolute, an uero per accidens lethalia sint pronuncianda? Huic difficultati ut occurrant, distinguere docent Medici inter uulnera ipsa, prout illa sunt uel superficialia,

uel

uel penetrantia, magna uel parua, simplicia uel multiplicia, intestinis tenuibus uel crassis inficta, pro quorum uarietate omnino periculum uariare, manifestum est. Sane leuioris notae esse uulnera minora, prae maioribus, simplicia prae multiplicibus, superficialia prae penetrantibus, quilibet uidet. Interim tamen & illa, pro situ & laesione uasorum neruorumque diuersa, in deterius uergere posse, inferius constabit. His uulnerum differentiis addere quidam solent distinctionem inter longitudinalia & transversalia, quam tamen celebratus Bohnius l. c. uel ideo reiicit, quoniam ad horum conglutinationem nondantur remedia efficaciora, quam illorum, adeoque eundem ancipitem euentum promittunt. Maxima praeterea diuersitas occurrit inter ea, quae instrumentis findentibus, aut pungentibus, aut perforantibus inducuntur. Vnde illa, globulis e sclopeto immisis facta, ceteris paribus, ob contusionem, conquassationem & lacerationem, prae illis, quae instrumentis secantibus, & haec rursus prae illis, quae pungit instiguntur, periculosiora obseruantur. Instrumenta enim acuta intestina perforantia, interdum non directe, sed oblique inter tunicas incedendo, intra intestinorum cauitatem penetrant, unde uulnuscula talia citius concidunt & conglutinantur, effusione contentorum impedita. Ea forsitan est ratio, quod cultriori a uariis scriptoribus allegati, cul-

C

tris,

tris, uentriculi tunicis perforatis, exteriora uerius prorumpentibus, nihilosecius seruati sint, cum alias uulnera uentriculi penetrantia & magna multo magis, quam intestinalium, funesta, imo absolute lethalia aestimentur. Ita omnino intestina crassa, praetenuibus, uulnerata faciliorem sanationem promittunt, quia tenuum substantia magis neruosa, situs anfractuosus & implicatus, motusque peristalticus continuus, plus conglutinationi resistunt, cum e contrario crassa, ob texturam magis carnosam, situm directum & externis integumentis propiorem, motumque debiliorem, eidem magis faueant. Nihilosecius tamen & horum uulnera, pro circumstantiarum varietate, aequa funesta & absolute lethalia esse possunt, uti infra patebit. Hae ipsae antem differentiatione uulnorum intestinalium, uix sufficere uidentur, ad difficultates, in renunciatione uulnorum lethalium occurrentes, tollendas, quoniam supra non parua tantum, sed etiam magna, non superficialia solum, sed quoque penetrantia & perforantia, imo intestina totaliter resecantia, etiam sclopeto exploso inducta, tam tenuium, quam crassorum, sanata perspeximus.

## THE S. VI.

**Q**uid igitur de uulnorum intestinalium lethalitate decernendum erit? Ergone omnia intestinalium uulnera, e numero absolute lethalium erunt eximenda?

da? Ita quidem non causarum modo Patroni, sed i-  
psi quoque Medici inferre solent. Inficiandum enim  
nullatenus est, dari uix posse in abstracto definitio-  
nem, uulnerum intestinalium absolute lethalium, ge-  
neralem atque completam, quae omnibus dubiis, &  
casibus istis extraordinariis satisfaciat. At hac ratio-  
ne nulla omnino forent uulnera absolute lethalia,  
nec cordis, nec cerebri, nec aliarum partium nobi-  
liorum, quandoquidem recenseantur quoque ab au-  
toribus exempla, uulnerum in illis organis feliciter  
curatorum. Referenda autem illa sunt, censente Ce-  
leberr. Wedelio Disp. de Fundament. Lethalit. Vul-  
ner. §. 28. inter rariora & contingentia, ex diuina qui-  
dem uoluntate, a quibus non licet facere induc-  
tionem, utpote a particulari ad uniuersale. Vti enim,  
pergit Idem, centum ueneno potionatis, si unus eu-  
serit, nemo induceretur, ut credat, innoxium & sibi  
fore uenenum, ita & hic se res habet. Attamen in  
concreto ipfisque subiectis, determinari omnino  
potest, & debet horum uulnerum lethalitas absoluta.  
In his quippe non in genere de lethalitate, sed quo-  
modo in hoc uel illo indiuiduo se habeat, iudicatur.  
Eamque ob causam in tali causa, ubi lethalitas impu-  
gnata est, optime responsum a Facultate Lipsiensi, d.  
7. Jul. 1668. Status controuersiae & neruus quaestio-  
nis nunc non est, an uulnera uentriculi in genere sint  
lethalia, sed queritur, an a uobis descriptum uulnus

C 2

uen-

uentriculi, in hoc individuo lethale sit habendum, referente Welschio de Vuln. lethal. p. 105. Magna enim occurrit disparitas inter homines, tum ratione aetatis, habitus corporis uiscerumque, aliarumque circumstantiarum, quatenus homines robusti atque athleticci grauiores laesiones facilius sustinent, & bonitate naturae, uiriumque robore inde euadunt, iis, qui tenerioris & debilioris sunt constitutionis, ex eadem causa succumbentibus. Neque exinde inferre licet, hos non ob uulnus, sed potius ob habitum corporis tenerorem, & quodammodo morbosum periisse, quia, monente Celeberr. Stahlio, diss. de Vuln. lethal. inter percussione& mortem, nulla alia causa intermedia intercessit. Nisi ergo status vulnerati, ante acceptam plagam sit plane morbosus, & talis quidem, qui ei per se mortem certam attulisset, eiusmodi uulnus omnino lethale pronunciandum erit. Imo nec hoc quidem ad lethalitatem tollendam sufficit, quia fatum hoc ipso acceleratur, quemadmodum & ille, qui senem decrepitum, ob legem ineuitabilem breui moriturum occiderit, homicidii poenam effugere nequit. His itaque positis, quilibet facile perspicere potest, ab exemplis rarioribus, uulnerum intestinalium curatorum, non ualere conclusionem ad alia, quin potius in casibus specialibus, omnes circumstantiae rite sint perpenduae. Quod enim a natura, casu, & quidem rarissime fit, pro regula Medicis

cis inferuire nullatenus potest. Ut iliter tamen hos monet, ut cautos & circumspectos se gerant, tum in curandis eiusmodi aegris, tum in sectionibus demor- tuorum, tum maxime in lethalitate horum uulnerum determinanda, nec quicquam in eo temere, & sine grauissimis causarum momentis committant.

## THES. VII.

**H**ae propemodum sunt regulae generales, in iudicio de uulnern lethalitate, efformando at- tendenda, quibus praemissis, accedimus ad eas, quae specialius uulnera ipsa intestinorum concernunt. Ut autem clariss pateat, quanam ex his lethalia, quae uero minus talia sint censenda, non inutile erit, ca- fus antea citatos, in quibus illa sanata uidimus, cum aliis conferre, quia contraria iuxta se posita magis elucentur. Pleraque autem memorata exempla haud dubie mortem certam attulissent, nisi speciales circumstantiae concurrentes eandem sustulissent. Vidimus enim supra Vulnera intestinorum, quibus fibrae tunicarum transuersim in illis resecantur, ob tractionem & crispationem nunquam, nisi interue- niente aut omento, aut integumentis abdominis, aut alio, per se consolidari, adeoque necessario conuulsiones, inflammations & sphacelationes, in tenuibus imprimis subitaneas efficere. Faciliorem tamen curam eorum reddit, uulneratio intestinorum in loco, externo uulneri proximo, aut non adeo re-

C 3

moto,

moto, quod uel solum in casibus recensitis uitae periculum, alias certissimum, auertit. Quaecunque adeo uulnera intestinorum compagem destruunt, & grauiorem uasorum sanguiferorum atque neruoforum laesionem efficiunt, ita, ut effusio sanguinis copiosa, nulla ratione sistenda, aut inflammatio & sphacelatio subitanea, & conuulsiones subsecutae, uitae terminum breui induant, lethalia per se omnino pronuncianda erunt. Idque tanto magis, si situs horum uulnerum profundus, & a loco externo remotus, omnem medicamentorum applicationem denebat. Eamque ob causam nuper a Facultate nostra, uulnus duplex intestini ieuni, alterum pollicis transuerfi longum, alterum minus, cum in sequentibus mox uomitibus ac conuulsionibus continuis, altero die mortem afferens, absolute lethale renunciatum merito est. Non quidem sola breuitas termini infecuti uulnera intestinorum reddit lethalia, non leuis tamen ex eo oritur praesumptio, uulneratum ex accepta plaga periisse, nisi manifesta testimonia, constitutionis morbosae, aut potius curae negle&tae, & diaetae prauae, quorum maxime respectus habendus est contrarium suadeant. Quamobrem Potentissimus Borussiae Rex, ad terminandas faepe inutiles, & superuacaneas de letalitate lites, lege sanciuit, uulnra omnia intra nouem dies mortem inferentia, lethalia renuncianda esse, nisi circumstantiae manefstae


stae curam neglectam arguant. Nostrum nunc non est, de hoc ferre iudicium, sed potius ex fundamentis medicis declarare, quaenam uulnra intestinorum, absolute lethalium nomine merito ueniant.

## THES. VIII.

**V**t igitur in specie de uulneris cuiusdam, intestinis inflicti, lethalitate accurate iudicari queat, requiritur ante omnia sectio & inspectio Medici aut Chirurgi, in Anatomicis optime uersati, quod nisi factum, difficillimum sane est, de uulnerum illorum lethalitate certi quicquam statuere. Propterea innumerā apud Scriptores Forenses occurruunt Responſa, quibus uulnerum non solum solum intestinorum, sed aliarum quoque partium, ob inspectionem insufficiētem, lethalitas dubia renunciata est. Ideoque sapientissime in foro nullatenus acquiescit, in depositione Medicorum singularium, multoque minus Chirurgorum, de uulnerum lethalitate, sed integrorum potius collegiorum decisio exposcitur, antequam certi quicquam de eo decernatur. Sectione uero & relatione rite p̄eaṭa, fontes a Cl. Krausio, in dissert. de Vuln. per se lethal. annotati, ex quibus in genere signa lethali tatis hauriri debent, in specie quoque ad intestinorum uulnra dijudicanda faciunt, pars nimirum laesa, uulnus ipsum, cura & deum uulnerati persona. Quoad partem laesam, multum omnino interest, utrum intestinum tenuerit,

aut

aut crassum & quo in loco illud laesum sit. Intestina enim tenuia, per antea enumeratas rationes, si in loco remoto & profundius haerente, vulneribus, imprimis magnis, aut pluribus afficiantur, nullam consolidationis spem promittunt, adeoque uulnera talia ex se lethalia censeri debent. Imo non tenuinum tantum, sed crassorum quoque plagae, tales quidem, quae functionem eorum destruunt, & ob situm profundum, remediorum applicationem nullam admittunt, adeo, ut effusio excrementorum in cauitatem, continua nulla ratione impediri queat, a lethalitate absoluvi non possunt, quoniam, licet non citam, lentam tamen mortem, eandem tamen certam inducunt. Praeter partem laesam, etiam uulneris ipsius conditio monstrat, lethale illud sit, an secus. Non minus, cura quoque & aegri ipsius constitutio in auxilium trahi debent, quae plenius euincunt, utrum intestini uulnus per se & absolute, an uero propter neglectam curam, & errores in morbo commissos, fatum sit lethale. Vbi tamen sedulo dispiciendum, an haec circumstantiae tales sint, quae aegrum, per se hoc uulnere non interitum, sua culpa interfecerint, an potius, his licet nullatenus interuenientibus, uulnus per suam naturam mortem intulisset. Quibus adeo, ut par est, accurate examinatis, & rite inter se collatis, facile erit de uulnern in intestinis lethalitate ferre iudicium.







*EXPLICATIO FIGVRAE.*

- A. B. C. Intestinum colon inuersum in hypochondrio sinistro ex abdomine propendens.
- a. Orificio superius, uersus intestina tenuia patens, quo feces aluinae excernuntur.
- b. Orificio inferius, ad intestinum rectum ducens.
- c. d. Vulnus externum a latere consolidatum, & cum margine uulneris intestini concretum.
- e. Vmbilicus.
- ff. Glandulae copiosae, per interiorem superficiem extra conuersam, turgentes & uerrucarum instar eminentes, in portione intestini superiori rariores, in inferiori copiosissimae, adeo, ut totum intestinum glandulosum uideatur.



Wittenberg, Diss., 1720



3

f

sb.



Farbkarte #13

B.I.G.



DISSERTATIO IN AVGURALIS CHIRVRGICO MEDICA

2VA

1720

48

VULNERVM IN INTESTINIS

# LETHALITAS

OCCASIONE CASVS RARISSIMI

2VO

19

COLON VULNERATIONE INVERSVM PER XIV. ANNOS

EX ABDOMINE PROPENDENS

EXHIBETVR

## PRO LICENTIA

SVMMOS IN ARTE SALVTARI HONORES  
ET PRIVILEGIA OBTINENDI

PRAESIDE

DN. ABRAHAMO VATERO

PHIL. ET MED. DOCT. HVIVSQVE PROF. PVBL. ORD.  
ANAT. ET BOTAN. SUBSTITUT. ET NAT. CVR. COLL.

PLACIDAE DISSENTIENTIVM DISQVISITIONI  
EXPOSITVR

A

RESPONDENTE

JOANNE REICHARD TIEFFENBACH

MAGDEBURGENSI

D. DECEMBER. M DCC XX.

IN AUDITORIO MAIORI

HORIS ANTE ET POST MERIDIEM VSITATIS.

WITTENBERGAE, Literis GERDESIANIS.